



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ADILABADEN\*** IN INDIA NOVA EPARCHIA  
CONDITUR NOMINE ADILABADENSIS Ad aptius consulendum spirituali saluti atque regimini multorum Christifidelium  
commorantium in ampla Eparchia Chandaënsi, quae comprehendit regionem duarum Foederatarum Civitatum Indiae,  
quarum una lingua Marathi, altera Telugu utuntur, Nos, utpote beati Petri Successores de totius Dominici gregis bono  
solliciti, in Audientia Venerabili Fratri Nostro Achilli S.R.E. Cardinali Silvestrini, Praefecto Congregationis pro Ecclesiis  
Orientalibus, hodie concessa, consentimus ut eadem ita dividatur ut ex ipsa nova constituatur Eparchia. Summa igitur  
Apostolica potestate sequentia decernimus: quodam detracto territorio ab Eparchia Chandaënsi, novam condimus  
Eparchiam *Adilabadensem*, cuius sedem eparchialem in oppido « Adilabad » poni iubemus, cunctis factis propriis iuribus  
atque obligationibus. Quam quidem Eparchiam Archidioecesi Metropolitanae Hyderabadensi suffraganeam facimus,  
mandantes ut ea complectatur territorium detractum e provincia « Adilabad ». Haec omnia reliquaque secundum normas  
Codici Canonum Ecclesiarum Orientalium temperentur. Insuper de eodem absoluto negotio sueta documenta exarentur  
et ad Congregationem, quam diximus, mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam  
esse volumus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo tertio  
mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*  
ANGELUS card. SODANO ACHILLES card. SILVESTRINI

*Secretarius Status*

*Congr. pro Ecclesiis Orientalibus Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost.*

---

*s.n.*

\*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 11, p. 1031 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana

---